DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,*

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS
manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigeſimâ - primâ menſis Januarii, anno Domini M. DCC. LXXIII.

M. THEOBALDO NIZON,
Doctore Medico, Præſide.



An Fœtui ſanguis maternus alimento?

I.



ENERARI dicitur Animans, ex quo nutriri incipit : ut in nutricatione poſita ſint haud minùs Animantis initia, quàm incrementum atque perfectio. Verùm alia nutricationis ratio in primordiis, alia in ætate ſubſequenti. Majorem alimenti partem in Fœtûs venas ex Matre transfundi, omnibus fere obvium eſt; at non ita multis animadverſum, quid, præter inſolitas quibus commeat vias, Fœtus alimentum ab Adulti alimento diſcrepet. Diſcriminis illius tria ſunt capita, qualitas, quantitas & motus. Nutriendi corporis qualitas conſimilem deſiderat qualitatem in ſucco nutrituro : quàm mollia ac tenera ſunt Embryonis Fœtûs-ve alendi ſtamina, tam mites delicatas ductileſque decet eſſe alibiles particulas. Maximâ verò copiâ alibilem ſuccum affluere oportet, qui ex tantulo puncto Fœtum in eam molem augeat, ut ratio, quâ humanus V. G. Fœtus per novem menſes creſcit in utero, decies millies & amplius ſuperet rationem, quâ per reliquum vitæ curſum ad juſtam magnitudinem pervenit. Motu tandem, niſi quàm leniſſimo, non fas eſt in compagis adeo teneræ receſſus, ſuccum nutricium irrepere.

I I.

HARUM conditionum nulla deeſt lacteo ſucco, quo turget uterus à conceptu. Non citiùs aurâ ſeminali fœmineus ſanguis afflatur, quàm uteri contextus mirum in modum immutari occipiat. Tum genitale arvum

* *Auctore M. Antonio* DE JUSSIEU, *anno* 1711.

emolliri, fibræ laxari, meatus invii tunc primùm recludi, quibus ferum lactescens à sanguine secernatur ac in cellulas uterinas confluat. Is est nimirum liquor, quem stillantem ex uteri fundo membranæ Fœtus cæcis quasi poris initio combibunt; placenta deinde radiculis in cellulas actis manifestè trahit; ut pars ejus per venam umbilicalem sanguini committatur, pars altera in Amnii cavitatem supportetur, unde sugat Fœtus ubi sugendo erit. Talem liquorem genuinum esse Fœtus alimentum negaverit is solus, qui rationi simul & sensibus nuntium remiserit. In plerisque Animalibus uterus mammæ instar succo illo turgidus deprehenditur: in Ruminantibus præsertim tam ex uteri cotyledonibus quàm ex chorii carunculis plenis manibus emulgetur. Præterea quid in illo desiderari potest, ut alimenti munia perfectè impleat: flos est delibatus sanguinei cremoris, tantò purgatior ipso mammarum lacte quantò Fœtus tenerior est puero lactante. Suppetit deinde quantum satis sit, majori in dies copiâ pro Fœtûs incremento in uterum confluens; ipse aliàs totus quantus est alibilis. Denique ut humores lymphatici, quod genus est succus ille nutricius, moderato cursu feruntur, ita ille sensim sine sensu, ut par est, in Fœtûs venas illabitur.

I I I.

IN sanguine materno quæras frustra quæcumque in lacte uterino obvia se se dant: nam ut eodem ordine aggrediamur; viæ nullæ apparent, quibus sanguis ille in Fœtum ab utero commeet. Nimirum ex parte Fœtus, ne minima quidem hiant vasa in placentæ superficie, modò illæsam tractes, quibus, vel si validè comprimas sanguinis guttam possis elicere: ex parte verò uteri, vasa quibus menstrua erumpunt nunquàm magis impervia sunt, quàm graviditatis tempore; quippè quæ Fœtus utero affixus mole suâ ad uteri fundum replicata admoveat sicque occludat: hoc obice remoto per hæc eadem vasa fluunt lochia, cùm sanguini congesto hâc sit facilior via, quàm per venas subsidentis post partum uteri molis. Commentitia itaque est arteriarum & venarum Matris conglutinatio cùm venis & arteriis Fœtus: concesso etiam illam fieri posse; nulla certe est, dum conceptus omni nexu solutus utero comprehenditur; quod primis graviditatis temporibus fit in omnibus Animalibus, in quibusdam ad extrema usque: tunc sanè in uteri cavum priùs effundi sanguinem necesse foret, quàm vasorum placentæ ostia subiret; quod quidem fateri reformident, vel ipsi hujus sententiæ patroni. Jam verò quàm à ratione alienum est, sanguinem sulfure & sale ferventem, qualis est maternus, in Embryonis corpusculum infundi: profectò alibiles partes talis liquoris alveo convectæ, non tam alendo corpori profuturæ, quàm tot heterogeneæ præpellentes nocituræ essent: præpostere etiam Natura videretur egisse, quæ Animalis adulti sanguinem in animalculum, dum imbecillius est, ejus nutrrendi causâ induceret, quod robustius deinde factum mammarum lacte tantùm cibat. Nec quantitas materni sanguinis, ut ut non deficiat, tam insigniter augendo Fœtui par esset, cùm vix ille centesimâ sui parte alibilis cen-

fendus fit ; recrementis verò iis abundet , quæ per incernicula Fœtûs majorì copia fecedere deberent , quàm re ipsâ fecedùnt : quandoquidem , quicquid purgamenti fupereft de humore , quo per novem menfes alitur Fætus , humanus [v. g. id omne veficâ & inteftinis facilè contineri videmus. Poftremò fi quid valet decantata illa fluida inter & folida æquilibritas , annon fanguinis motus ex uteri arteriis in Fœtûs venas corde materno impulfi violentior eft, quàm ut tenellulæ fibræ obfiftere valeant ? An etiam corculum Fœtûs impetu fanguinis à corde materno vibrati jugiter quaffatum fui juris motum retinere poffet , quin rhythmum validioris cordis fequi cogeretur.

I V.

RATIONIBUS validiffimis , fi quid judicii noftri eft , fententia de fanguine materno oppugnata fuit ; illas tamen experimento anatomico cumulabimus , eoque inter alia bene multa ut facillimo ita liquidiffimo ; ne qua veritatis lucem refugientibus latebra fuperfit. Canis gravida in procinctu partûs vafis fanguiferis fectis fanguine exhauritur , ut vix femuncia , idque in corde vel proximè cor fit reliqua ; tum aperitur uterus , qui exfanguis omnino eft, placentæ catulorum eximuntur , quod levi tactu facias , & apertis membranis catuli reperiuntur fanguine pleni imò vivi , etiam fi dimidiam horam à Matris morte membranas aperias. Valeant igitur quæcumque temere obfervata huic experimento repugnaverint : fi quis Fœtus exfanguis occurrerit in muliere quæ ex alto lapfa fanguinem omnem profuderit ; vel exfanguem putandum eft Fœtum vitio conformationis jam antea fuiffe ; vel vafe aliquo placentæ rupto fanguinem profluxiffe , cujus veftigia obfervatorem fefellerint , parum , ut fere fit , ad ea attentum quæ præjudicatæ opinioni adverfantur. Quicquid id eft , obfervatio temere inftituta , quam cafus obtulit , nec iterum forfan offeret , non habet ictum quo minimùm labefactet experimenti auctoritatem , quod pluries repetitum eâdem ratione femper fuccedit ; quodque , fi incredulis lubet , fexcenties iterum repeti poteft. Mitto autem cætera quibus fidem allatæ obfervationi munire conantur ; & uterum & placentam , quà fe fpectant , membranâ carere ; ideoque vaforum utrimque hiantium facilem conglutinationem effe : nullas effe glandulas in utero quibus humor lacteus fecernitur ; aliaque id genus quæ veritati tam repugnant quàm tenebræ luci. Cæterùm lochia in argumentum fuæ opinionis trahere : placentam nefcire cui ufui foret , nifi fanguini à Matre excipiendo inferviret , atque fimilia id tantum evincunt, Viros effe præclarè aliàs de re anatomicâ meritos , quibus volupe fit ignorare quod alii gaudent cognoviffe.

V.

FŒTUS , totum in toto , Animal in Animali , partibus Matris annumerandus minimè eft : mortuæ Matri fæpe enim fuperftes , communi vitâ nequaquam ei conjungi fidem facit. Sua cuique eft vita , quippe fuus cuique fan-

guis ab ingenitâ cruoris guttâ, unde & in Molis ſanguinis origo. Verum ſi ſanguine eodem uterque animaretur, jam vitæ communitate in unum coaleſcerent duo, ut ſimul interitura, ita nullo tempore à ſe invicem forte divellenda: quò enim vaſorum ſanguiferorum conglutinatio magis inveteraſceret, eò ægriùs divelleretur: ſic numquam graviditati partus ſuccederet; quippe qui non ſolùm à præſenti conglutinatione ſemper impediretur; ſed etiam unde cieretur, cauſam non haberet: nam in eo ipſo prima partûs ratio poſita eſt, quòd maternus ſanguis Fœtu excluſus vaſa uteri ſub finem graviditatis ita diſtendit; ut inde vaſcula, quibus ſuccus lacteus commeat à Matre ad Fœtum comprimantur; ſicque Fœtui alimentum ſubripiatur, placentæ radiculæ contabeſcant, &c. Quid plura? dicendorum numquam foret finis; cùm veritatis argumenta ut depromuntur, majori ſemper copiâ ſubeant: anologiam tamen ex Oviparis petitam omittere non licet: hac ſolâ ſi non vincitur, res ſaltem aliunde demonſtrata mirè illuſtratur. Siquidem cùm nihil Ovipara inter & Vivipara videamus intereſſe, niſi quatenus in his alimentum Fœtui per partes in momenta ſubminiſtratur; in illis verò totum ſimul & ſemel in ovo congeritur; quam veriſimile eſt, alimentum illud, ut in Oviparis nemine refragante, ita in Viuiparis alienum à ſanguine prorſus eſſe. Sic tandem ductis à ratione ab experimentis & ab analogiâ argumentis jure concluditur.

Non ergò Fœtui ſanguis maternus alimento.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Joannes-Franciſcus-Jacobus ROUSSILLE. DE CHAMSERU.	*M. Claudius-Andreas* GOUBELLY.	*M. Michael-Philippus* BOUVART, *Regii Ordinis Eques, Regiæ Scientiarum Academiæ Socius.*
M. Sanctus Ludovicus GUINDANT, *è Regiâ Scientiarum Societate Monſpelienſi.*	*M. Antonius-Laurentius* DE JUSSIEU.	*M. Michael-Joſephus* MAJAULT, *Antiquus Regis Exercituum in Germaniâ Medicus.*
M. Philippus-Alexander BACHER.	*M. Joannes-Jacobus* NOLLAN.	*M. Carolus* PAYEN.

Proponebat Pariſiis ALPHONSUS-VINCENTIUS-LUDOVICUS-ANTONIUS LE ROY, Rotomagæus, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, A. R. S. H. 1773.
A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Saluberrimæ Facultatis Typographi. 1773.